





20  
DEO PROPITIO!  
DISSSERTATIO PHILOSOPHICA,  
DE  
**SUVERENITATE  
PRIVATORUM,**

Quam

SUB ALMAE TRIADOS AUXILIO

CELEBRI ACADEMIA VARNO-  
BALTHICA,

Anno MDCCXXVI. d. 18. Maii.

PRÆSIDE

**DN. ERN. JOH. FRID.**

Scangel,

J. V. ET PHIL. DOCT. AC MORAL. PROF. ORD.

F. AUTORE ET STUDIORUM SUORUM PROMOTORE  
COLENDISSIMO,

defendet

H. L. Q. C.

**JOH. HENR. GRILL,** *Seesterno-Holzatus,*

Phil. & S. S. Theol. Studiosus.



**ROSTOCHII,**

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi Senatus Tipographi.

VIRIS EXCELLENTISSIMIS ATQUE  
CONSULTISSIMIS,

DN. RUTGÉR O  
*Rulandt*,

DN. NICOLAO  
*Stampel*,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORIBUS CELEBERRIMIS ET SENATORIBUS  
DE ILLUSTRI REPUBLICA PATRIA HAMBURGENSI  
LONGE MERITISSIMIS

UT ET

DN. CAROLO JOH.  
*Sogel*,

DN. JOH. ARNOLD.  
*Wilckens*,

JURIS UTRIUSQUE LICENTIATIS FULGIDISSIMIS,  
DOMINIS PATRONIS

PROMOTORIBUS SUIS AD URNAM USQUE DEVENERANDI  
Atque  
Hanc dissertationem pia mente consecrare voluit, debuit,  
TANTORUM NOMINUM

obstrictissimus Cultor.  
IOH. HENRICUS GRIL



DEO DUCE!  
DISSERTATIO  
DE  
SUVERENITATE PRIVATORUM.

# PROOEMIUM.

§. I.



I unquam, certè in fronte hujus Disserta-  
tionis erit necessarium, ut titulum illius  
explicemus, speciatimque monstremus,  
quare vocabulum *Souverenitatis*, Ciceroni  
aliisque Romanæ Eloquentiæ Patribus in-  
cognitum, adhibuerimus.

§. II.

Præter igitur quod Philosopho licet novis entibus  
nova imponere nomina, vel ad clariorem conceptum faci-  
endum novis terminis uti, singulariter etiam circa hanc  
materiam expediens videbatur alios fortè consimiles ter-  
minos præterire, & hunc applicare; Nam quod attinet vo-  
ces Monarchia, Suprematus, Potentatus, Suprema Pote-  
statis, Dominii Eminentis, Principatus &c. illa suo in va-  
lore consistant, siquidem certo respectu sua significantes,  
verum quod hactenus latinum sit vocabulum, supremam,  
eminenter & illimitatam potestatem, quam stilo politico  
dicimus la Souverainité, solum indigit, confidenter nos  
negaverimus. Liçet enim ipsa hæc gallica vox a latina  
*Superioritatis* fortè vel simili enata videatur, tamen ex usu  
loquendi, quem penes arbitrium & jus & norma est, fin-  
gularem & excellentem habet significationem.

A

§. III.

Imò denique præsentis materiæ tractatio id videbatur poscere, ut, dum philosophicam scriberemus dissertationem, talēm usurparemus rubricam, quæ omnes materias sub ea complexas uno intuitu quasi repræsentaret, lectoremque incenderet aviditate scrutandi, an hæc vel alia eō forte referenda materia, in nigro sit invenienda.

## §. IV.

Sic etiam primi non sumus, qui voce Suverenitatis utimur, siquidem aliquando eandem adhibitat meminimus, licet vix Scriptorum paragraphos allegare possimus, ubi confaci queat, præter *Wolfi Inst. Jurispr. Nat.* p. 442. ubi *Wolfius* nobis est consentiens, quod, si distinctionem Monarchiæ in limitatam & illimitatam effugere velimus, scribere debeamus terminum suverenitatis.

## §. V.

Quod autem præsentem attinet dissertationem, quilibet, etiam non admonitus, sentiet, nos hic non trætare aliquod paradoxon politicum, sed in sensu plane singulari & improprio adhibere vocem *Souverenitatis*, quod ipsum ex hac descriptione patefecit: *Souverenitas privatorum est Status hominis singularis, qui eundem, licet legibus divinis, naturalibus & Civilibus subjectus tamen sicuti sibi relictum, liberum, & tranquillitatem possessorum.* Rogamus autem B. L. ut hanc descriptionem tamdiu & in mente teneat, donec subsecuturam dissertationem sub eadem rubrica perlegerit.

## §. VI.

Jam, ut credimus elucescat, nos non forte ex Anabaptistarum, vel Munzeri, aut Monarchomachorum cohorte esse, qui potestatem civilem damnare, & promiscuam privatorum libertatem introducere satagunt; sed potius nos versari in sublimiori meditatione, de iis scilicet, quæ animum humanum magis, quam ejus corpus & res afficiunt.

Faxit DÆus ut & hoc nostrum institutum, se terminet in salute mortalium,

TRA<sup>2</sup>

# TRACTATIO.

## §. I.



Aud contemnendum erit, si primo loco posuerimus quaſtionem: *An in ſtatu per- fecliori, quem ex ratione etiam demonstratum dedimus in primis lineis Juris Nat. verē talis, ed. 1725. in 8. obtinuerit poliſia? Vell,*  
*Num in eo ſtatu Suverenitas privatorum lo- cums habitura fuerit vel habuerit?* Et responderimus ad ean- dem: *Quod quidem Imperium Civile, quale hodienum super iniquas hominum mentes, & post diſtincta rerum Dominia introducta, ſtabiliendum omnino eft, vid. PLU- FEND. de Off. Hom. & Civ. Lib. II. Cap. VI. p. 1. non extitifet;* aſt quod tamen direclorū familiarum & prærogativa quædam Patribus familiis & senioribus propria fuerit, & ad dirigendas qualescumque actiones ad familiæ utilitatem facientes, & ad cultum religiosum ordinandum.

## §. II.

*Quibus tamen non obſtantibus, ductu ſacrarum lite- rārum afferere poterimus, ante lapsum obtinuisse ſuvere- nitatem privatorum, conſtitutis nimirum hominibus in ſplendore imaginis divinæ agentibusque inde ex perfecta Iuſtitia & sanctitate.*

## §. III.

Egregium fane eſt iudicium PLATONIS, dum in Libro de Republ. dedituc, in prima illa felicitate hominum, quam auream & ſpeculum Saturni vocat, nullas vel conſtitutas vel conſtituendas fuiffe Republicas. Conf. omnino locus ille Ovidianus de aureo ſeculo, quem cum pluribus huc facientibus inveniet Lector in jam citatis Lineis J. N. Statuerunt igitur hi sapientes gentiles, quod fatis admirabile, Suverenitatem privatorum olim ſtetiff. Audiatur etiam TACITUS Anal. III. ita differens: *Vetuſſimi mortaliti-*

um nulla adhuc mala libido sine probro, scelere, coeque sine pena  
aut coercionibus agebant, neque praeiis opus erat, cum honesta  
suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contramorem cuperent, ni-  
hil per metum veteabantur. At postquam exui aequalitas, & pro  
modestia ac pudore ambitio & vis incidebat, provenire dominationes.

## §. IV.

Congrediendum quoad hoc caput nunc esset, nisi clara  
pro nobis satis militaret veritas, cum contrasentientibus:  
Prodeat in superfluum instar omnium BECMANUS, qui  
in *Medit. Polit. Cap. XI. §. 5.* afferit: Utique in statu inno-  
centiae societates minores consensuras facile fuisse in socie-  
tates majores: Perfectionem hominis capiendam esse de  
moralibus, in naturalibus enim nihilominus ob imperfe-  
ctionem homines indiguisse societate majori: DEUM ipsum,  
dum diceret: Es ist nicht gut, daß der Mensch alleine sey,  
rebus publicis viam parasse; Verum nobis etiam tacentibus  
quilibet videt, has rationes, judiciosissimi alias Becmani,  
haud parum claudicare: Nam, imperfectionibus naturali-  
bus etiam per familias segreges & illas dirigentes Patresfa-  
milia satis fuisse consultum, consequenterque, licet mul-  
tiplicatis hominibus, sibi invicem vicinæ fuerint familias  
contiguæque, tamen non in unam eapropter coaliuerint.  
Denique effatum: Es ist nicht gut, nemo non interpreta-  
bitur, de providentia divina, circa propagationem generis  
humani. Legatur interea de vera causa constituendæ  
Civitatis PUEENDORFFIUS more suo, solidissime diffe-  
rens. Qui præterea idem cum Becmanno sentientes legere  
cupit, evolvat KECKERM. de Rep. Libr. I. c. 2. DANÆUM  
Lib. I. Pol. Christ. cap. 3. TIMPLERUM. Quæst. Pol. Lib. I. Cap. 3.

## §. V.

Non possumus autem non mirari, quod maximi  
quidam Juris Naturalis Doctores hanc circa questionem  
graviter sint hallucinati, & quidem ex incauta confusione  
Juris Naturæ in statu thetico & hypothetico. Sufficiat no-  
minaſſe

minasse *Illustres Fratres GROTIOS*; Evolvantur autem nobis  
cum accurate consentientes *HOBES* *Elem. de Cive Cap. VI.*  
*n. 13.* *BOECLER.* in *Not. ad Grot. Libr. I. C. 3. §. 6.* *HORNE J.*  
*Philosoph. Moral. Libr. II. cap. 3.* *DN. de ZECH* *Europan. Herold.*  
*p. 2.* *BODINUS* *diss. o. t.* *Jus Mundi*, p. 20. sq. & denique in-  
star omnium *THOMASIUS*. *Jurispr. div. Libr. I. cap. II. §. 37.*

§. VI.

*Imman. WEBERUS*, *Phil. & JCtus Giessenus*, in *diss. de*  
*Politia ante lapsum hab. Lips.* Facit argumentum a brutis  
politicis, veluti apibus sub rege viventibus, allegatque  
*ARISTOT.* *I. Pol. II.* & denique concludit: *Ita certe nullum*  
*esse potest dubium, quin in naturalissimo isto statu & perfectione,*  
*perfectioris naturae simulo acti homines, ad unum aliquem adspi-*  
*rarint, eumque sue societati constituerint caput. &c.*

§. VII.

Enumerat etiam is ipse *WEBERUS* casus in quibus  
sine capite vivere non potuerint, ac ita differit: *Certum est,*  
*in migratione ipsos consultasse, deliberasse, pactaque iniisse, que*  
*omnia atque alia plura quis sine summo capite intelligerer; summum*  
*voco, tum maximè propter honorem tum propter potestatem civi-*  
*alem.* Verum hæc omnia nos non feriunt, siquidem infir-  
mia, ceu quilibet videt; imo Weberus in viam rediens  
tandem nobiscum fere est consentiens, dum ita insit: *Quæ*  
*tamen, sc. potestas Civilis, ita erat comparata, ut libertatem*  
*reliquorum non destrueret, sed saltim quoad certos casus aliquante-*  
*nus restringeret, in quos videlicet ipsi ultrò ac sponte consenserant.*

§. VIII.

Ast forte in illa materia justò fusiū versati sumus,  
qua propter nunc ad alia contendimus; Atque sic merito  
tangetur caput de *Philosophorum Suverenitate*: Non autem eo  
sensu quis accipiat hanc suverenitatem, ac si Philosophi  
gaudent virtute in omnes veritates penetrandi, habitamus  
enim nobiscum & agnoscimus, quam nobis sit curta sup-  
pellex, deploramus amissam judicandi virtutem, & ea quæ  
adhuc

A 3

adhus tenemus, sunt quasi reliquiae & rudera excellentiorum dotium, quas proh dolor! decoximus. Flevimus certe quoties in illam incidimus quæstionem: *An detur demonstratio in moralibus?* & ipsa ignorantia, quam nonnulli eruditam appellare volunt, ut nostræ paupertati colorem faciant, testatur satis, quam pusilli simus: De Scandalis Phycorum cogitare doloriferum est, & credimus, in illis ipsis capitibus qua scire putamus, nos interdum misere cœctire, minimum vix luscios esse. Pneumatica disciplina, si ita appellare eandem fas est, nos nobis ipsis ridendos fuisse, & nil scimus, quam quod omne id, cujus operationes sentimus, naturam autem ignoramus, in asylum ignorantiae nos recipientes, *spiritum* appellemus. Quis etenim non videt nostram tenuitatem, dum quæsti, *quid sit spiritus?* respondemus: *Est substantia materia expers:* Nihil enim eo ipso nos dixisse, clarum est, quia dicentes quid non sit, non diximus quid sit: Et an ita philosophum respondere decet? Si regesserimus; *Est substantia cogitans;* ne sic quidem satisfecimus, imò quæ de indiscretibilitate & impenetrabilitate passim efferuntur, in eundem veniunt censum. Legatur B. SELIGMANNI olim Prof. nostri Diss. de iis in quibus Philosophia harere aut dormitare videtur, hab. Rost, 1684.

### §. IX.

Ne autem putet aliquis rigorosus dictorum censor, nos Scepticos esse, & nullas statuere veritates indisputabiles: Absit illud a nobis, qui tantummodo breviter allegare voluimus, ubi deficiamus, non autem recensere, ubi certis incidimus pedibus.

### §. X.

Juvabit autem de vera Philosophorum Suverenitate paululum differere, quam in eo sitam esse remur, quod unicuique Philosophantium liberum sit & esse debeat propriis oculis veritatem investigare, & inventam libere tenere, ac cœteris paribus, communicare. Laudamus ex eo fonte Socie-

Societatem Eruditorum, quæ Symboli loco assunxit dictum:  
*Nullius in verba.* In ore & pectore gestamus dictaria: *Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas: Non videndum est quis quid dixerit, sed qua ratione dixerit.* Atque sic Suverenitatem adjudicamus vero Philosopho: Ridemusque veterum mores, qui Magistros creandos in Aristotelem jūrare adstrinxerunt; Et miramur olim aliquando ex illustri quadam Academia relegatum esse Professorem eclectice philosophantem, imo ad rogum damnatos esse, qui vel circa mundi rotunditatem communem errorem errare, sapientiam esse non reputarunt. O tempora! o mores! Credimus autem in hoc capite nullos nobis esse contrasentientes, quod Philosophi habeant meritò suverenitatem illimitatam sentiendi cum ratione, quicquid suo judicio veritatis invenerunt. Surge igitur nunc Mome, & rode Philosophos & Magistros! An nescis longas Regibus esse manus?

## §. XI.

Hæc meditantibus in mentem & memoriam incidit dictum DEMOCRITI ABDERITANI: *Non oportet sapientem legibus obediere, sed libere vivere.* Quod ipsum sane elegantem facit descriptionem & ideam hominis probi dignique Societatis humanæ membra: Non enim inter illos bene vivitur, qui formidine poenæ virtutis imaginem præ se ferunt; sed illi verè sunt homines, qui agnitis Legibus divinis & naturalibus sponte & virtutis amore secundum illas procedere laborant. Et certè credimus, quod quilibet, acutus in suverenitate positus, vivere queat, qui omnia agenda & omittenda velut ex proprio judicio agit & omittit, ac qui ad instar generofi equi umbra virgæ regitur, nec calcari semper est concitandus. Ipsi enim summi Imperantes illimitata gaudentes suverenitate, non eapropter sunt legibus divinis & naturalibus soluti, sed præsumtio minimum debet esse pro illis, quod non pro ratione stet voluntas.

voluntas, sed salus publica & privata. Atque eo sensu sapientem non oportet obedire legibus sed libere vivere; Nam quæ in Democrito, quem phreneticum fuisse Hippocrates judicavit, desiderari possunt, non tangemus. Jungatur dictum biblicalum: *Dem Gerechten ist kein Gesetz gegeben.* Et Judicium SENECAE: *Nunquam sapiens in tam humile nomen procedet, nunquam semiliber erit: Integro semper libertatis & solidæ, solitus & sui iuris, altior ceteris.*

## §. XII.

Audiamus ad hanc nostram sententiam uberioris declarandam ARRIANUM Libr. III. Comment. in Epist. Philosoph. cap. ult. differentem: *Ego vero nunquam volens prohibitus sum, nec coactus nolens;* *Quo pacto id fieri potest?* Apperitum meum obsequenter prabui DEO. *Vult ille me febricitare? volo & ipse.* *Vult me aliqui re potiri? Volo & ipse.* *Non vult? nolo.* *Mori me vult? Mori igitur volo.* *Quis adhuc me prohibere potest contra meam sententiam aut cogere?* Et CICERO: *Aliqui non Philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputationem, omnes aejunt esse beatos, qui vivunt, ut ipsi velint.* Falsum id quidem est; *Velle enim, quod non deceat, idem ipsum miserum est,* nec tam miserum est, non adipisci quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat. En igitur & hanc suverenitatem privatorum,

## §. XIII.

De Dominio in Affectus jam hic nonnulla erunt dicenda; non autem est, ut in causas affectuum inquiremus, sed ut investigemus; An homo in statu praesertim mortalitatis ad eam possit ascendere suverenitatem, ut affectus suos debite compescat cohibeatque? Dicimus debitem, nam Stoicam *ἀπάθειαν* affectare velle nostræ Philosophiæ inimicum est. (Ne autem putet aliquis, nos nescire, Stoicos à quibusdam excusari, quia non de relegatione sed moderamine affectuum solliciti fuerint; Vid. BECMANI Præcogn. Moral. p. 68, EJ, Lin, Doct, Mor. p. 335. SENECA Epist.

Epist. 71. & 104.) Quia affectus justis in terminis, humanae prærogativæ admirandi sunt testes, & quia homo, qui nullis affectuum motibus regitur, in societate est quasi intolerabilis. Ergo igitur de eo nobis est quæstio: An queat unquam homo ita moderari affectibus suis, ut indebito loco & tempore non erumpant? Ad quam respondemus: Quod homines simus, quod adeoque nihil nisi humanum de nobis sperari possit; Nihilominus tamen non dubitamus, quia eousque possit frænum injici affectibus, ne nos turpiter abripiant, prostituantqne, modo adhibeantur remedia moralia & medica. Legatur omnino Excell. D.N. D. DETHARDINGII, Senioris Acad. nostra gravissimi, Fautoris nostri colendiss. Manuduct. ad vitam longam diss. spec. tradens regulas circa animai affectus observandas. Laboremus itaque & desudemus in hoc stadio & studio, ut minimum nos distingvamus à brutinis ictis mentibus, quæ misere conditionem suam deturpant, dum furor affectuum in gyrum quasi trahuntur. Cogitemus semper de Suverenitate in affectus acquirenda, quo illis tanquam misistris uti possimus, quos ad testificandum animum debite emittamus producamusque. Annon aures nostras titillat illustre dicterium: PRINCEPS EST, QVI AFFECTUUM SERVUS NON EST. Meditemur sapientissimum judicium SALOMONÆUM: Wer seines Mühts ein Herr ist, der ist besser als einer der Städte gewinnet. Cogitetur interea de CARTESIO, qui affirmat in Tr. de Passionibus unamquamque animam acquirere posse absolutam potestatem in suas passiones. Qui etiam eapropter vapulat vid. ALBERTI Eros Lips. p. 146. sq.

## §. XIV.

In genere autem operæ pretium forte fuerit, inquire, an in exercitio virtutis minimum unius vel alterius, aliquis pervenire queat ad illud fastigium, ut Suverenitatem in recte agendo teneat. Pendebit hujus quæstionis decisio a sequentibus: Faciunt nonnulli Ethicorum præ-

B

eunte

eunte ARISTOTELE , Distinctionem inter virtutes perfecte tales & semi-virtutes ; Hasque iterum subdivisimus in naturales & acquisitas , in genere autem hunc eorundem necessitantes catalogum : Verecundia , Pudor , Immunitas suspicionis & invidiae , Nemesis , Continentia , Tolerantia & Obedientia ; Voluntate id dicere forte , quod haec Virtutes in homine non sint habitus perfecti , & quod , ut nostra inhæreamus meditationi , quoad illas nunquam homo perveniat ad Suverenitatem in affectus malos : Verum , licet non penitus assentiamur Stoicis , dicentibus , virtutem non admittere magis acquisitus , tamen statuimus , quod ejusmodi distinctione sit otiosa , siquidem pro tenuitate humana , omnes virtutes ab hominibus exercita , sunt semi-virtutes . Si autem forte exceperint , has enumeratas semi-virtutes esse quasi preparatorias tantum ad aliam nominationem ; Sic iterum nihil dicent , quia ipsis occinere possumus , ea ratione non nisi unicam dari virtutem , scilicet Institiam , quæ juxta vulgatissimum versiculum :

*In sece virtutes continet omnes.*

#### §. XV.

Quærunt autem varios colores hujus distinctionis & dicunt , e. g. Continentiam exercentem similem esse victori , qui hosti capto quidem compedes injiciat , ast seram obdere negligat , unde fieret , ut virtus easdem decutiens iterum viatori negotium facessat . Ast consideret quilibet , annon idem de omnibus virtutibus in homine parationi dici queat ? Si enim docente Cicerone , Virtus perfecta est qualitas constans , quæ imis infixa radicibus , nec senio evelli , nec igne comburi , nec naufragio perire potest , nec unquam florere definit ; Proh ! Ubidatur homo virtuosus ?

#### §. XVI.

Jam ad alia ; Et sic non inutilem forte movebimus quæstionem : An detur etiam quadam suverenitas privatorum circa corrigendos cuiuslibet mores ? Multis populis solenne fuit , ut

ut Seniores, propinquai & cognati id juris haberent, ut potuerint juniores & eos qui de familia erant, taxare, & ad seniores mores admonere. Evolv, *VALER. MAXIM.* Libr. V. cap. 8. §. 2. sqq. *SENECA de Clementia* Libr. V. cap. 15. add. l. un. C. de *Emend. propinqu.* Videtur etiam c. 36. *XXIII. quaest. 15.* cuilibet vicino, imo & proximo in genere largiri jus emendandi mores, verum cordati Interpretes hunc canonom exponunt de nuda admonitione Christiana, non coercione contentiosa, indeque fori esse interni non externi, si frater fratrem, amicus amicum privatum corripiat. Legatur *AUGUSTINI Epist. 61. ad Aurelium;* Cum igitur jamjam non scribimus dissertationem theologicam, non poterimus ad quaestionem motam aliter, ut Philosophi responderemus, quam nullam dari suverenitatem privatorum circa mores alienos promiscue emendandos, vel quod clarius est, non posse quemlibet cuilibet in faciem dicere ( sit phrasu venia ) quod in ejus vita corrigendum esse statuit: Licet enim obligatio interna adsit, tamen pro praesenti seculi genio non solum juste est agendum, sed etiam prudenter, ne scilicet turbetur tranquillitas, qua per simulationem & dissimulationem honestam & prudentem bene conservari potest. Ast de hac materia fusius in dissertatione mox evulganda, *de Collisone pietatis & prudentiae.*

## §. XVII.

Idem ferè dicendum quoad hanc quaestionem: *An in dicenda veritate quilibet privatus gandeat suverenitate?* Quam ita resolvimus, distingentes scilicet primo inter veritates historicas publicas & privatas; Historiam publicam conscribere, unicuique liberum est, nisi ob rationem status Principes id prohibuerint, sic enim periculosum est scribere de illis & contra illos qui possunt proscribere; In Historiis autem privatorum, ea qua in proximi vergunt contumeliam non sunt propalanda sed suppressima: *Alle Dinge soll man zum besten lehren.* Objicit autem forte quis

B 2

garru-

garrulus & Historiographus urbiclus, Ea, quæ notoria sunt, posse ubique & coram quolibet dici narrarique. Communis est locutio: Warumb man das nicht sagen solle, es wäre ja wahr, und man wolle es mit 20. Zeugen beweisen. Ast exceptio est in promptu, levissimæ plebis illud esse vitium, & indicium abjecti animi facere, si quis tempus utilioribus & jucundioribus discursibus terendum, variis historiolis tertii, quarti, quintive facta vel facinora recensentibus, falleret. Peccatur enim per ejusmodi garriendi consuetudinem contra justitiam, proximi quia vitia sunt privatim taxanda, & in genere capiendum nobis est symbolum: *Quis te constituit judicem.* Et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Nemo enim credit, se ab omni labore esse immunem, & differimus nos tenues mortales quoad vitia & pravos mores tantum gradualiter, vel etiam id differentiaz intercedit, quod unus suas nequitias aliquanto tecitus & subtilius tractare neverit. Peccatur etiam ista promiscua ebucinatione historiaz privatæ contra prudentiam, dum enim consilii est, amicorum numerum indies multiplicare non minuere, per illum malum morem non solum illos nobis inimicos reddimus de quibus narratur fabula, sed etiam prudentes arbitros & auditores, verissimum enim est, der gegen uns von andern Leuten libel spricht, und alle eingezogene Nachrichten, oder eigene Gedanken unverschämt ausschüttet, der wird gegen andere wieder etwas von uns zu schwärzen nehmen. Rectissime igitur dicit Poeta: *Qui omnibus affabilis, nemini fidelis est, & decipit omnes.* Igitur fileat lingua generosa, & loquatur, ad modum Poëtarum in conversatione, de quibus *HORATIUS* canit:

*Et prodeesse volum & delectare Poete.*

### S. XVIII.

De Veritatibus autem Philosophicis, & potissimum moralibus alter erit sentiendum, prout enim illis assentimur, qui Jus & obligationem omnium statuunt cognoscendi

scendi veritates quascunque, ita etiam talem astruimus Suverenitatem privatorum, quod quilibet eam veritatem, quam suo iudicio inventit, exponat enumeretque, nisi iterum prudentia svaserit, distinctionem ubi, ad quos & inter quos differamus. Hac autem prudentia non infringit Suverenitatem; Nam absolutissimis etiam Dominis multa sunt juxta regulas prudentiae omittenda. Verum hæc materia satis superque est tractata ab Il. THOMASIO. Conf. DN. M. HANII, Prof. Kilon. Celeb. Faut. nostri Honorat. diss. de Jure & Oblig. cognoscendi Veritatem. hab. Rost. 1720. Cogitetur de Autore libri c. t. Unerkannte Sünden der Welt, quem non omnes æque laudant ob prudentiam scilicet neglectam circa expositas criminum circumstantias.

## §. XIX.

Quousque Philosophotum Suverenitas circa capita fidei se extendat, vel de limitibus rationis & fidei nostrum non est, ut differamus; Nec dubitamus, quin Theologi dudum in scriptis suis hoc facientibus Philosophiaz suos assignaverint cancellos, intra quos se continere debeat; adeoque nos non debebimus hic de finibus regundis ageare. Legatur Doctiss. Dn. SIBETHI bodie Past. Sandens. diss. hic hab. sub moderamine Magnifici nostri WEIDNERI, Fautoris & Praeceptoris nostri summopere suspiciendi, de Limitibus rationis in Theologia. Qui autem Philosophiam in genere Theologiaz inimicam esse statuunt, nosiri sunt inimici.

## §. XX.

Supersunt adhuc quædam capitula, brevibus, quia hic bellè referri possunt, exponenda. Inter ea autem est, quousque Suverenitatem tribuendam habeamus unicuique circa electionem vita generis; Et brevibus decernimus, quod Parentum & Patronorum partes circa illam sint tantum ceu Consilia, non ceu Imperia considerandæ, & quod cæterum

dependeat ab uniuscujusque genio & ingenio cuinam vita generi se addicere velit , modo sit honestum , nec penitus infra conditionem familiae positum , quo casu prudentia parentum , remedii eò facientibus uti potest . Non autem ob electum vita genus invitit parentibus in genero exhortari posse filium , ratio satis indigitat .

### §. XXI.

Circa Conjugia ineunda illustris etiam occurrit *savet*  
*venitas privatorum* , dum scilicet regulariter nemini , qui etiam audaciter eo tempore quo nondum requisitis moralibus & economicis instructus est , interdicitur matrimonium . In memoriam incidit historiala , quæ circumfertur de Megalandro nostro Lutherò , qui juveni quæsito , quomodo uxorem ducendam alere vellet , respondentique : Dominus pròvidebit ; dixit : *Ey mein Sohn , so gehe hin und nimb gwey* . Diximus autem regulariter , nam quæ circa homines proprios quoad connubia ex voluntate Domini restricta sunt , imò quæ de militum conjugiis prohibitis notoria sunt , exceptiones meritò appellamus a communi regula . Ut taceamus alios casus libertatis matrimonii ineundi restictu a DD . & legibus traditos . Vid . BODINUS diss . spec . de libertate matrimonii ineundi restringenda , hab . Hal . & rec . 1724 . Vix autem erubesceremus statuentes , hanc *suverenitatem* meritò a summis imperantibus esse restringendam , & magistrati inquisitionem & judicium esse tribuendum , an conjugium initurus ejus etiam sit habitatis moralis , ut possit citra detrimentum & dedecus publici matrimonii oneri se submittere . Et hoc praesentibus abundantissimis humani generis membris feliciter fieri posse , non dubitamus , nisi periculorum forte esse putaremus novas veritates docere & insinuare , licet ceu superius monstravimus , unicuique liberum illud esse , constet . Quæ autem de dif-  
 fensu

(o)

fensu utriusque despontisurum inter Juris - Consultos di-  
spitantur nostram excedunt sph̄ram ; quapropter remitti-  
mus Lectionem ad III. STRYKII diss. de Dissensu utriusque de-  
sponsatorum specialem.

### §. XII.

Jam ad religionem contendimus , & putamus e-  
quidem , materiam illam juncta illa de hæresi hic præ-  
teteundam haud esse ; Verum sacro potius silentio hanc  
involvimus materiam . Legatur interea III. COCCEJI  
dissertatio de Jure Circa Hæreticos : & notetur quia circa  
diss. III. THOMASII de Problemate : An hæresis sit Crimen ?  
cordate observatum fit . Id dicere autem nos posse confi-  
dimus , quod exceptis veritatis biblicis , libere senti-  
re unicuique liceat : Et quod summo Magistratu com-  
petat potestas , singularia dogmata propalantes sua eji-  
cere Republica , & jubere , ut sub nudo æthere libere  
sentiant . Notoria insuper est regula : in Conscientias non da-  
tur Imperium : Indeque nulli Imperantium tribuendum est  
Ius prohibendi unius vel alterius transitum ad aliam reli-  
gionem , sed in ea parte suverenitas privatorum respectu  
Imperantium summo stat in fastigio .

### §. XXIII.

Denique de suverenitate privatorum in animalia hic es-  
set dicendum , nisi in subsequenti Dissertatione Juris Na-  
tura & Gentium exponentium duceremus , quomodo hæc  
suverenitas ex ratione status sit restricta . De statu primo  
& verè naturali interea verum est , quod feræ bestiæ fuerint  
in plena dispositione uniuscujusque vi effati divini : Eure  
Furcht und Schrecken sey über alle Thiere . &c.

### §. XXIV.



Et sic quoad hanc dissertationem philosophicam metam nostram attigissemus, modo B. L. nostrum discursum ex qui bonique consulere, Et ea qua<sup>m</sup> huc forte referri debere putasset, ex dissertatione secunda colligere velit.  
DEO sit Gloria.

## T A N T U M.

## ADDITAMENTUM.

**S**Ingulare est, quod in Historia Philosophica de PETRO RAMO invenimus, quomodo scilicet ille ceu hæreticus philosophicus sententia regia damnatus sit. Nam publicatis *Institutionibus dialecticis* multum sibi apud Aristotelicos conciliavit odii, dum in doctrina de prædicamentis, elenchis sophistis &c. morem veterem servare detrectavit. Præsertim autem evulgatis *Animadversionibus* Aristotelicis ita irritavit crabrones, ut declararetur hæreticus & aula ut infensissimus veritatis hostis denunciaretur. Imò Aula Regis Galliæ sequentem seriam publicavit sententiam: *Que Ramus avoit été temeraire arrogant, & impudent, d'avoir reproché & condamné le train & art de Logique recue de toutes les nations, que lui même ignoroit, & que par ce q'en son livre des animadversions il reprochoit Aristote, estoit evidentement connue & manifeste son ignorance.* Hæc certe talia sunt, de quibus merito novissimus quidem Gallus exclamavit: *Est il possible!*



Nobilissimo, Literis moribusque politissimo  
**DOMINO GRILLIO,**  
Sanioris Philosophiae ac Theologiae Cultori Strenuo,  
Respondenti suo peregregio, gratulatur  
PRÆSES.

**S**anè tu, si quis alias, *Nobilissime Domine GRILLI!* a primo ad-  
ventu tuo in hanc nostram Academiam, usque ad hodiernum  
diem, tales te exhibuisti, de quo sibi omnes boni non nisi bo-  
na promiserem. Præparas te per annum, & quod excurrit, ad sa-  
cram cum DEO obeundum officium, sed nondum audivi, te in  
Collegio Homiletico horas præcipitante consumere: Nost enim,  
multa esse præmittenda, priusquam ad praxin ritè accedatur.  
Eaque propter philosophiam sobriam insigni ardore haçtenus  
amplexus es, nec cum vulgo eandem sub nomine offutiarum,  
quas vernaculo stilo Grillen appellant osores ignorantes, illam con-  
siderasti, sed sancte potius eandem coluisti: O te terque quater-  
que felicem! qui proprio ex ingenio imposterum verba & ne-  
gotia tua facere poteris, longè distinctus a psittacis illis, qui  
dicturi, Solam memoriam pro Dea sua habent, in extraordinariis,  
& ubi formularia deficiunt, plane vel cum paupertate tacen-  
tes, vel etiam inconde loquentes. O iterum te felicem! Tu  
amas omnis generis sana studia, tu scrutaris Historiam, tu discis  
Mathesin, tu excolis stilum, Tu Theologiam *εγερ* tuum esse  
finis: Ergo tu eris verus & dignus Eruditus. Accede jamjam  
Mome! & centum auribus audi disputantem *Dominum GRILLI-*  
*UM*, non nisi egregia audies. Et capropter Tibi & Tuis astu-  
matissime *Domine Respondens*, impensè gratulor. Vale, & nuncia  
MAGNIS PATRONIS TUIS HAMBURGENSIBUS, quanto a-  
more te & tua Studia estimem. Iterumque vale.

**C**ui generosa fedet generoso in pectore Virtus  
Cui placet ingenuæ conditionis Honos,  
Non, instar cochlear, gradibus subficit in imis,  
Passibus aet æquis altius ire cupit.

Vir



753  
Vir Juvenis firmo petis ardua & aspera gressu  
Nec steriles tribulos colligis ante rosas.  
Præclarè doctos quid ego tibi gratulor ausus ?  
Dum strepit in laudes docta cathedra tuas  
Hisce pares semper vires conatibus affer,  
Sic palmam auspicio mox meliore feres.

Sic Cl. Dr. Respondenti, amico estimatissimo studia  
sua Alma Varniaca nostra eximie probanti gratula-  
bundus assurgit.

M. JANUS van HAVEN, Opponens.

**S**Er nichts von Hamburg weiß und dich mein Freund nur kennt,  
Sieh daß man es mit Recht der Mulen Wohn-Platz nennt;  
Und daß dasselbe viel gelehrte Männer hegt,  
Die dir als ihrem Sohn ihr Bildnis eingeprägt.  
Du hast daselbst den Schatz der Wissenschaft erlanget,  
Womit dein munterer Geist vor vielen andern pranget;  
Wiewohl du selbigen vergrößert und vermehrt,  
Da du im Varu-Athen die Lehrer angehörst.  
Heut wird ein juglicher die Probe davon sehn,  
Wenn du wirst als ein Held auf der Chatcheder stehen  
Ich wünsche tausend Glück, zu solchem disputiren  
Und daß der Lorbeer-Kranz mag deine Scheitel zieren.  
Diese schlechte Zeilen schrieb dem Herrn Respondenten als  
seinem allerliebsten Freunde zu wohlverdienten Lobe, um  
wolte zugleich denselben zu seiner gegenwärtigen  
Disputation gratuliren.

JO. JOACH. EGGBRECHT,  
Philos. & S. S. Theal. Stud. Opponens.

**E**in Lob geliebter Freund darf ich nicht sehr erheben:  
Da dich in Rostock das in Ruhm und Ehren segt  
Worinnen Hamburg noch dich lobenswürdig schätzt,  
So wird die That schon selbst nach deinem Ruhme streben,  
Ich wünsche also nur: Gott krone dem Studien  
Das einst die Welt bey dir mag grossen Nutzen spüren.

Mit diesem wenigen wolte den Herrn Respondenten zur  
Cathedee begleiten dessen ergebenster Freund und  
Diener

JOH. KÜHL, Hamburg,  
J. II. Stud. Opponens.



Rostock, Diss., 1724/27



St.



